



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Maglorii Episcopi Dolensis, in Brtannia Minori: ex ea quæ est apud  
V. P. Lar. Surium. Claruit anno à partu virgineo 620. &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

bello, prælijq; exitu sciscitatus contèdit. Ab  
eoverò egregiè animatus, & de certissima ho-  
stiū victoria optimè sperare iussus, fidenter re-  
liquas militum copias, in hostem duxit; mul-  
tilque in locis fusis fugatisque hostium pha-  
langibus, non sine ingenti miraculo vniuersas  
copias hostiles, ipsumque Regem internecio-

*Elesbaan He-  
braeum &c.  
niuersas il-  
lius copias  
bello profer-  
nit.*

ne deleuit: & nubilam Ecclesiæ faciem diutur-  
no mœrore & lachrymis obscuratam mira se-  
renitate illustravit. His ità peractis diuinus  
Rex Elesbaan, ut dignas meritasque Chlisto,  
pro tam insigni victoria, referret gratias, post-  
quam cunctos è seruitute Christianos in liber-  
tatem asservisset; & strata dirutaque templa ac  
facella erexit; sumptibusque regia magnifi-  
centia ac splendore dignis, exornasset; seipsum  
quoque Deo in holocaustum obtulit: ita planè,  
ut spredo diadematæ, opibusque contemptis, in  
monasticam sese disciplinam tradiderit; sola-  
que storea, & poculo ad suppellectilem, pane &  
verò & aqua, atque oleribus ad vitæ sustenta-  
tionem contentus, rigidam sanè & egregia vitam.

*Rex Elesbaan  
fit monachus  
& rigidissi-  
mam durissimam  
vitam.*

virtute ac sanctitate conspicuam duxit vitâ:  
mundo deindè ignotus, at soli Christo cogniti-  
tus; à quo æternæ retributionis mercedem se-  
curus expectabat.

VITA S. MAGLORII EPISCOPI DO. *Vide C. Ba-  
lensis, in Britannia Minor: ex ea quæ est apud  
V.P. Lar. Surium. Clariuit anno à partu virgi-  
neo 620. &c.*

*ron. Notat.  
ad Martyr.  
Roman.*

S Maglori natione Anglus, patre Vmbra. 24. Octob.  
selo, matre verò Affrella parétab' gene- *Patria &c.  
parētes eius.*  
ris nobilitate admodū claris prognati;

Y 2 ab Hela

ab Helturo S. Germani Antissiodorensis Ecclesiae Episcopi discipulo, & liberalibus disciplinis & sacris literis egregie est institutus. Vnde processu temporis vitæ integratæ puritateque conspicuus, à beato Samsoni ordinatur diaconus & Concionator. ne Episcopo, Diaconus, diuinique verbi minister ordinatus est; qui & eum ob meritum sanctitatis eius reuerenter admodum habuit: eumque secum, cum nonnullis clericis & Laicis in Britanniam minorem prædicandi causa traiiciens, assumpsit. Vbi muleis vitæ annis, vberrimo cum fructu & miraculorum signis, præclarè exactis, febri tandem correptus sacer Antistes decubuit; sentiensque vicinam imminere mortem, Maglorio ad se vocato, eum post migrationem suam eius gentis futurum præsulem spiritu propheticò prædictit.

Fit Episcopus Dolensis regimen suscipere coactus, Christo adiuuante, magnarum virtutum de se exempla dabati cum eccè nocte quadam Angelus Domini assistens ei dormienti, hæc inter alia ait: Haec tenuis quidem Maglori ad pascendum Domini gregem in huius Episcopatus publica Luce versatus est; at nunc ut possis liberius vni vacare Deo, & eius laudibus totum te impendere, remotioris loci pete secessum, vitamque vias solitariam; prouidit si quidem tibi Deus multas oues vitæ monastica deditas: quibus te pastorem præficiet innumeris clarificandum virtutibus. Eam visionem vir sanctus valde admirans, expurgiscitur,

*Samson Bri-  
tannie mi-  
noris insignis  
Episcopus.  
Eius prophe-  
tia & obi-  
tus.*

*Fit Episco-  
pus Dolensi-  
Maglorius.*

*Ab Angelo  
monetur so-  
litarium vi-  
uere.*

agisque Deo gratias, quod id iampridem ardēti desiderio concupierat, reipsa ut perficeret eum per Angelum suum admonere dignatus esset.

Igitur non multo post Budocum, qui à *Prouisō sibi* pueri sancte religiosè cum ipso vixerat, pro *in Episcopat* se Dolensis Ecclesiae Antistitem consecravit; *tus successore* cleroque & populo valedicens abiit ad *Io- adit solitu-* *dinem.*

dè : cunctis interim incredibili quodam animi dolore tabescientibus ob discessum pastoris tam boni. Ibidem verò cum in abscondito iejunis, vigilijs, precibusque feruentissimè incumberet, tamen diu latere non potuit, sanctitatis namque eius fama passim increbescente, ex diuersis regionibus cæci, claudi, leprosi, demoniaci, varijsque alijs affecti incommodis ad eum aduolabant, salutem expentes. Multi quoque animarum suarum remedia percipere cupientes: quos ille benigno mentis affectu excipiens, in utroque curatos homine lassantes à se dimisit. Plerique autem multa ei offerebant munera auri, argenti, rerumque aliarum, gratos se illi declarare volentes: quæ quidem ille protinus in pauperes viduas, pupilos, captiuos, fameque affectos liberaliter erogauit.

Cernens autem vir sanctus tam multa sibi offerri, tantamque hominum multitudinem ad se indies confluere, magno animi dolore correptus, iam planè deliberârat ad desertum aliquem proficiisci locum vbi nulla hominis vestigia existerent. Accersito autem primum ad se Budoco Antistite, ei animi sui conceptū

*Miracula  
claret.*

*Munera ut  
expenderit.*

*Eremum pe-  
tere cogitat.*

*Mutat quo  
quidem opti-  
mè senten-  
tiam-*

patefecit. At ille luculēta sanè ex diuinis scri-  
pturis concinnata oratione , viro sancto in  
consulto meritoque laudabili proximis bene-  
faciendi studio perseuerare persuasit retinuit,  
confortauitque , Vndè procedente tempore  
cum permultos ad meliorem frugem sele re-  
cipere cupientes in societatem suam admisil-  
set , condidit alio quodam in loco dono sibi  
dato, Ecclesiam & Collegium monachorum;  
quos congregauit sexaginta adusque duos: eol-  
que vira & doctrina sua eruditos , Deo & san-  
ctis eius debita seruituris officia præstare do-  
cuit. Qualem autem ipse se se præbuerit , qui-  
busque virtutibus eniuerit, cum nullus faci-  
lè dicendo possit consequi , nobis pauca tan-  
tum commemorasse sufficer,

*condit mo-  
nastricūm.  
Benedictus  
præest.*

Et quidem cum ab ipso matris utero vixis-  
set castissimus, essetque virginitatis conserua-  
dæ studiosissimus pane tantum vescebarur hor-  
deaceo & viliori legumine: eoq; parce. Quar-  
ta & Sexta feria prorsus nihil sumebat cibi.  
Carnem suam perpetuo cilicij vsu macerabat,  
Vestes exteriōres habuit nec admodum viles,  
nec sanè pretiosas, sed mediocres: vt humanos  
applausus & gloriolam declinaret. Ab eo tem-  
pore quo solitudinem expetij, nee vinum nee  
siceram babit . Diēbus solennibus per paucis  
pisciculis vescebatur . Fratribus noctu quieti-  
centibus, ille insomnis orationes spontaneas  
precibus Matutinis coniungebat. Hospitale  
admodum se se exhibebat ad ipsum aduentan-  
tibus: & ut multa paucis expediamus nulla nō  
virtute exstitit perornatus.

*Et quidem ille sic innumeris clarebat virtu-  
tibus*

*Celitus pre-  
noscit obitum*

eibus & miraculorum signis: cum eccè in S. Pas-  
chalis vigilia Angelus Domini eximio splédo-  
re coruscans, illi in templo more suo nocte vi-  
gilanti, adusque tertio apparuit, trásum eius  
ex hoc mundo prédixit: beataq; immortalitate  
propediem eum participem fore assenerauit: *Ab Angelo*  
*viaticum ac-*  
quin & viaticum ei tanquam breui morituro *cipit.*  
tradidit. Ab illo igitur die de suo obitu solli-  
citus, nisi causa ineuitabilis & multis profutu-  
ra deflet, usque ad diem vocationis suæ, sem-  
per versum hunc ore repetebat: *vnam petij à Psal. 26.*  
Domino, hanc requiram: ut in habitem in do-  
mo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Sed e-  
nīm Templum Dei indefessus assiduò frequen-  
tabat; alijisque sanctitatis operibus iugiter in-  
tendebat: quoadusque tandem expleto la-  
bentis vitæ cursu, fratribus valedicens & in-  
ter verba sanctæ exhortationis animam expi- *Vt se ad mor-*  
*tem præpa-*  
rans, felici migratione peruenit ad Christum *ravu.*  
omnium Redemptorem. *Felicissime*  
*obit.*

## EGREGIV M MARTTRIVM SS.

Chrysanthi & Dariæ: Ex historia quam Vari- *Vide Tom.*  
nus & Armenianus presbyteri S. Stephani Papæ & Annal C.  
scripsierunt. Extat apud Metaphrasten. Coro- *Baron.*  
nati sunt Anno Christi Ducentesimo quarto vel  
circiter.

**V**IR quidā Alexandrinus, illustris in ci-  
uitate sua princeps, ordinique senato- *25. Octob.*  
rij, Polemius nomine, cū vnico filio suo *parentes*  
Chrysantho Romā concedens, ibidē à Nūeria- *eius.*  
no imperatore maximis honoribus decoratus  
fuit. Hic cū filiū suum rerū maximarum cogni-  
tionē